

**IN PROPERTIUM QUAESTIONES  
GRAMMATICAE ET  
ORTHOGRAPHICAE,  
DISSERTATIO INAUGURALIS**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649397303

In Proprietum quaestiones grammaticae et orthographicae, dissertatio inauguralis by Paulus Heymann

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.  
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

[www.triestepublishing.com](http://www.triestepublishing.com)

**PAULUS HEYMANN**

**IN PROPERTIUM QUAESTIONES  
GRAMMATICAE ET  
ORTHOGRAPHICAE,  
DISSERTATIO INAUGURALIS**



UNIV. OF MICHIGAN  
MAR 23 1914

IN PROPERTIUM  
QUAESTIONES GRAMMATICAES  
ET ORTHOGRAPHICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

AUCTOR


PAULUS HEYMANN

SAXO EX VICO HALSBRUECKE.

---

HALIS SAXONUM

MDCCLXXXIII.



Propertii elegiae cum et propter eximiam artem et propter haud exiguae interpretationis difficultates dignae sint quae summa cum diligentia tractentur, quamquam incipiente hoc saeculo ex philologorum Batavorum licentia et arbitrio a Lachmanno prosperrime in examen criticum vocatae sunt, nec pauci usque ad hanc actatem fuerunt, qui et studium a summo critico viro incohatum pro suaे quisque aetatis subsidiis amplificarent et in carminibus ad rectam interpretationis viam ducendis summum ingenium ac studium converterent, tamen adhuc haud pauca in hac re desiderantur. Ae maxime quidem miror, quod nemodum exstitit, qui de Propertii rebus orthographicis aliisque quae ad formas flexionesque vocabulorum spectant, diligentiore cura inquireret. Hertzbergius enim in „Quaestt. Propertianis“ edit. vol. I etsi omnes in partes poetam nostrum arte syntactica, quae vocatur, doctissime patefacta explanare sibi proposuit nec non occasione data nonnullas de Propertii vocabula fleetendi ratione quaestiones instituit, tamen in universum supervacaneum ei visum est, formas grammaticas ea diligentia singulas investigare et componere, qua opus est ad totum Propertianum dicendi genus penitus cognoscendum. Ait enim l. l. cap. VI, pg. 162: „Nam quae restant, vel proprie vel audacius dicta, cum nihil ad illustrandum poetae ingenium faciant, et ab aliis vel saepe vel eadem licentia sint expetita, omisimus de industria. Idem valet de usu verborum singulorum grammatico etc.“ Quod nrum recte existimaverit necne non difficile est ad dijudicandum. Nulla enim re magis mihi quidem scriptor omnino intellegi videtur, quam dicendi consuetudine in omnes partes accurate explanata.

Itaque haud vereor, ne excusatione mihi opus sit, si in hoc opusculo ea proferam, quae de Propertianarum formarum grammaticarum et orthographicarum ratione maxime digna putavi. quae iusta collocatione sub uno quasi conspectu ponerentur<sup>1)</sup>. Quamvis vero satis mihi persuasum esset nonnullas res in Propertianis elegiis occurrentes ceterorum quoque eiusdem aetatis poetarum proprias esse, non tamen omittendas existimavi; sed, cum spectent ad rem grammaticum et orthographicam quam diligentissima pro meis viribus cura explanavi, ut hac etiam dissertatione ad totum Propertii dicendi genus intellegendum subsidium quoddam adferretur<sup>2)</sup>.

Jam vero de praesidiis criticis, quibus potissimum usus sim, eorumque de varia dignitate, praesertim cum ea de re viri docti etiamnunc inter se discrepent, quid mihi videatur, paucis exponam.

Ac primum quidem librum Groninganum (G), cui Lachmannus (praef. edit. a. 1816 pg. 9) et eum secuti Jacobus, Hertzbergius (quaestt. Prop. pgg. 233—235), Keilius maximam fere fidem tribunat, haud paucis Italorum interpolationibus infectam (cf. H. Keil., observatt. criticae in

<sup>1)</sup> Qua in re probavi Curtii commendationem „Die Bildung der Tempora und Modi etc.“ pg. 1: Die Aufgabe des Grammatikers gleich zunächst der des Statistikers etc.

<sup>2)</sup> Eadem ratione probavit Frahnert „Zum Sprachgebrauch des Properz“ Halle 1874, qua in commentatione omnia, quae in elegiis occurunt, supina, gerundia, gerundiva, participia, diligentissime collecta sunt, pg. 1: Denn nicht blos das Ungewöhnliche, was uns in der Diction eines Schriftstellers entgegen tritt, sollte meiner Ansicht nach bei derlei Sammlungen Beachtung finden, sondern auch solche syntaktische Erscheinungen, die immer und immer wiederkehren, scheinen mir gleicher Berücksichtigung werth zu sein, damit je mehr und mehr zur Klarheit kommt, in welchem Umfange der Sprachschatz von den einzelnen Autoren überhaupt benutzt wurde, und wie lange dies und jenes brauchte, um gewissermassen Bürgerrecht zu erlangen, wobei sich zugleich zeigen wird, wie lange auch gewisse Formen und Wendungen sich behauptet haben, ehe sie von anderen verdrängt wurden.

Prop., Bonn. 1843, pg. 11 sq.) parvique tantum nulliusve<sup>1)</sup> pretii esse diligenter et docte exposuerunt M. Hauptius, emendationes nonnullorum Prop. locorum, Berol. ind. acad. 1854, pgg. 4—9; Opuscl. II, pgg. 52 sq.; Chr. Heimreich, quaestt. Prop., Bonn. 1863; Chr. Luetiohann., commentt. propert. Kiel. 1869, pg. 3 sqq. Deinde ne librum quidem mss. olim Neapolitanum (N), nunc Guelferbytanum (Gudian. 224), quem Lachmannus, Jacobus, Herzbergius, Keilius secundum locum, Luc. Müllerus principatum inter omnes codices Propertianos obtainere et ipso ex archetypo profectum esse vult<sup>2)</sup>, ut fere unicum textus constituendi editioni suae subsidium, normam tamquam ac regulam emendandi sequendam esse putaret, interpolatorum licentia prorsus vacare, loci aperte indicant sane paucissimi: 2, 1, 31; 3, 15, 49; 4, 13, 35.

Cuius quidem codicis praeter ceteros omnes singularem et potissimum fidem ante hos tres annos Baehrensius (edit. Prop. Lips. a. 1850, prolegg. pgg. 7—9) evertere conatus ex magna codicum multitudine quattuor libris tanquam fidissimis honorem tandem reddendum existimavit, qua Propertii elegias denuo recensereret:

- A) cod. Vossiano, saec. XIV usque ad II, 1, 63 pertin.;
- F) cod. Laurent, saec. XV initio scripto;
- V) cod. Ottoboniano-Vaticano, saec. XIV exeuntis;
- D) cod. bibliothecae publ. urbis Neerlandicae Daventriae, in Italia intra a. fere 1410—20 scripto.

<sup>1)</sup> Quod contra vide Luc. Müllerij iudicium, praef. ad Prop. pg. VI, cui cum cursu pensitatis quotquot huc spectant locis assentiri mihi visus sum: „Mihi ut meam iam sententiam aperiam, videtur G haud dissimilis codicis Catulli Datani, in quo quasdam egregiae fidei lectiones invenias, alias cum audacia interpolatas, ut tamen ille codex longe saepius sit immutatus Italorum arbitrio quam hic. Etiam hoc commune utrique libro, quod emendatores quicunque fuerunt cum haud pauca et ex parte sanissima temptassent, vix tamen rarius ineptissima quaeque mirifica tulere indulgentia.

<sup>2)</sup> Cf. praef. ad Prop. pg. X: Est certe omnium, qui iam extant, longe optimus, id quod nobis apparuit denuo instituta collatione; et paullo infra: Descriptum esse librum ex ipso archetypo mihi quidem videtur haud improbable.

Quorum de fide ad sinceram poetae lectionem constitutandam quae mea sit sententia iam breviter exponi licet.

Cum graviter corrupti sint illi codices A F V D additamentis novicieis haud paucis quidquid novarum lectionum Baehrensius ex suis libris mss. affert, id interpolationis speciem concedas saepissime prae se ferre vel ortum esse e coniectandi studio nimis audaci. Quod quam optimo iure contra Baehrensi editionem sit propositum non est eur singulorum locorum testimoniis demonstremus, cum Frid. Leo, Mus. Rhen., tom. XXXV, pgg. 441 sqq. in *commentatione*, quae inscribitur „*Vindiciae Propertianae*“ novissimi illius editoris erroribus patefactis libri Neapolitani unicam et meritam fidem virtutibus ipsius codicis cum lectionibus A F V D librorum mss. comparatis sagacissimo ingensio denuo comprobaverit<sup>1)</sup>.

At mihi quidem, quamquam Luc. Müller et Frid. Leone auctoribus librum Neapolitanum propter lectionis integratatem<sup>2)</sup> omnium dignissimum existimo, ex quo Propertii elegiarum recensio proficiscatur, tamen reliqui Baehrensi codices, quos Leo l. l. non sine irac et studii crimine omnino quiequam valere negat, cum sint eadem fere qua Neapolitanus aetate conscripti, in contextu ad pristinam archetypi orthographiam revocando nequaquam videntur plane contempnendi. Praebent enim hic illic, quod in verba

<sup>1)</sup> Cf. pg. 447: *Demonstravimus*, quod demonstrandum erat, codicem Neapolitanum et unum non interpolatum et librum esse multo reliquis lectionis integritate superiorem. illo igitur in posterum quoque, et unico quidem illo donec similis inventus sit, Properti carminum recensio nitetur. librarii errores arguere valebit e melioribus vulgaris notae libris quicunque eligetur. verum A F D V omnino nihil valent. — Cui fere assentitur Schenkl, *Wiener Studien*, tom. 3, „*Eine Properzhandschrift*,“ pg. 160. — Praeterea conferendum simile iudicium Rothsteinii de Baehreniana Tibulli editione in dissertatione, quae inscribitur „*De Tibulli codicibus*,“ Berol. 1880, pg. 49: Multa enim ille tentavit quae iustum offensionis causam non praebent multa coniecit quae ne poterat quidem scribere poeta, earum autem eius emendationum quae tolerari possunt pleraque tam incertae sunt, ut in criticae editionis textum recipi non debuerint.

<sup>2)</sup> Cf. Hetzel, *Zur Erklärung des Propertius*, Dillenburg 1876, pg. 2.

scriptoris adversus codicem N omnium certe virorum doctorum consensu sit recipiendum. Sed ea de re librorumque manu scriptorum allatorum natura et indeole cum diligentia et eura videndum erit, ubi rem orthographicam tractabimus.

Ceteras Propertianas saec. XV membranas, quarum lectiones adnotavit Hertzbergius, codicibus A F V D multo viliores excepta Groningana, cuius scripturas rarius adiunxi, in hac commentatione omnino neglegendas putavi.

In libris denique numerandis Lachmanni (cf. pgg. XXI—XXIII ed. 1816) divisio adoptanda mihi videbatur, quem primum notum est librum secundum diseidisse in duos, ut carmina Propertiana quinque libros complexa commonstrareret; priscum numerum quattuor librorum Hertzbergius et Baehrensius restituerunt.

Ceterum hanc rem non ita gravem, quae per se plane abborret a quaestionibus nobis propositis, diligentissime tractaverunt Hertzbergius, Quaestt. Prop., pgg. 213—233 et Luc. Müllerus, Praef. in Prop., pgg. XI—XIII, qui candem, quam Lachmannus, probat divisionem.

Restat ut, quale nos in his quaestionibus consilium secuturi simus, paucis indicetur. Primo igitur capite investigandum erit, quibus in universum rationibus Propertius se applicaverit et in peregrinis imprimis graccis, et in patriis nominibus flectendis; altero, quas in verbi flexionibus normas observaverit; tertio, quam scribendi rationem pro nostrae aetatis subsidiis criticis passim adversus Müllerianam et Bachrensanam editiones maxime probemus. Qua in distributione sane fatendum, nonnulla quae in quaestionibus grammaticis tractata sunt, orthographicis non aliena eodem iare huic dissertationis parti adiungi potuisse. Quod vel maxime quadrat in accusativum et nominativum pluralis num. tertiae, quae vulgo dicitur, declinationis in — is exeuntem. —

---